



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCLIV. De Vastatione terrae Marchionis de Brandenburg & morte &  
captione sex millium Christianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

vitates, quarum Dusburgius meminit, Grunovius omittit, ut Wartenbergam, pro qua substituit Liebstadiam. Item Gutstadium, Melsacum, Bischovsverderam. Neque de Ylienburgo *de quo cap. 305.* quicquam habet.

CAP. CCCLIV.

*De*

*Vastatione terræ Marchionis de Brandenburg & morte & captione sex millium Christianorum.*

Anno Domini MCCCLXXVI. (a) Loteko Rex Poloniae rogavit Gedimum Regem Lethovvinorum, cum filiam ejus noviter duxerat in uxorem, ut ei aliquos armigeros de gente sua mitteret, qui precibus ejus acquiescens, MCC. equites destinavit ei. Hi de mandato dicti Lotekonis adjuncti populo suo armata manu hostiliter intraverunt terram Marchionis de Brandenburg circa Civitatem Frankenfordam, & totam illam contractam, quæ continebat ultra centum & XL. villas Ecclesias Parochiales totidem, cœnobia monachorum Cisterciensis tum & claustra sancti monialium duo, & plura religiosorum & secularium monasteria, spoliis & incendio destruxerunt; inhumaniter religiosos & sacras Deo dicatas virgines de claustris extrahentes, ministros Ecclesiæ & Sacerdotes, vasa sacra, vestes & Sacramenta alia pertractantes. Occiderunt viros, sed mulieres & nobiles matronas multas cum virginibus & parvulis captivas deduxerunt. (c) Inter has virgines una fuit nobilis, quæ propter eminentiam pulchritudinis suæ parem non habuit, pro qua habenda fuit dissensio magna inter Lethovvinos; sed ne altercatio invalesceret

*Anno Domini  
MCCCXXVI. Rex  
Ungariae de Ex-  
ercitu Tartaro-  
rum, qui Regnum  
suum depopula-  
verant, XXX. mil-  
lia interfecit.*

Fff

inter



inter eos accessit quidam & gladio per medium secuit eam, dicens: divisa est in duas partes, quilibet de ipsa sibi contingentem accipiat portionem. Sicque vastata terra illa, & occisis & captis pluribus quam sex milibus hominum, recesserunt. Hunc Exercitum quidam Polonus, dolens de tanta strage Christianorum secutus fuit simulans se amicum infidelium, & dum locus & tempus advenerat opportunum, David Castellanus de Gartha & Capitaneum hujus belli, qui infinita mala, ut præmissum est, intulit fidei & fidelibus in conspectu omnium interfecit.

- (a) Lotheco est Wladislaus Locticus Rex Poloniae, qui Locticus i. e. cubitalis, dictus est, ob staturæ brevitate, à Polonico vocabulo Lokiec, quod ulnam notat.
- (b) Chron. Germ. antiq. in 4. habet CC. pagos. Strykovski legit centum & sexaginta.
- (c) Aliam hic alii substituunt Historiam, qui hunc in modum se habet: Virgo Deo sacrata ad flagitium cogebatur à milite, ubi preces & lacrymæ consumptæ sunt frustra, illa promittit militi, modo se inviolatam relinqueret, non vulgare secretum se edituram, cum se habere diceret Ungventi genus, quo qui perunctus esset, vulnere non posset; ut vero fidem faceret, dubitanti collum suum unguento oblinat, & simul ad idem militem invitat. Hic miles constantiâ Virginis motus stringit eassem, & cum uno ictu caput amputasset, intellexit demum, quam probè Virgo caleret artem, non vitæ, sed Castitatis conservandæ. Habet hanc historiam Chron. Antiq. Germ. in forma ut vocant quarta, quod in Bibl. Elector. asservatur. Item Simon Grunov. *Tract. XI 13.* Chronicon Ordinis *sub Wernero de Orselen.* Schuz. & alii plurimi. Sed quoniam hic Dusburgius & ejus interpres Jerolchinus nihil hac de re habent, possumus suspicari per errorem huic tribui, quod alias Euphrasian Virginem fecisse memoriæ proditum est.

## CAP. CCCLV.

*De adificatione castri Luneburg, & duarum civitatum.*

**H**Oc tempore Fr. Theodoricus de Aldenburg Commendator de Balga, petita & obtenta Generalis Magistris licentiâ in terra Barthenfi circa confluentiam duorum fluviorum, scil. Gobrionis & Says adificavit castrum (b) Luneburg, trahens nomen suum à nomine campi, in quo est situm. Item idem Commendator civitatem circa Castrum Barthenstein. Et frater Lutherus filius illustris Ducis de Brunsvig Commendator Christburg civitatem circa Castrum (c) Ylienburg locaverunt.

- (a) Hic postea factus est Mag. Ord. Teut. Gener. Fuit autem filius Joannis III. Comitum Oldenburg. nato minimus.
- (b) Idem habet Henricus Hamelmannus *part. II. Chron. Oldenb. fol. 126.* hodie Luneburg. Henneb.
- (c) Excepta Dusburgiana Nobiliss. Dn. Gothofredi Zanclii habent Georgenburg. Idem verò putat legendum esse Ilienburg. i. e. Gilgenburg. Ex quorundam sententia est Lilenburg.